



HONORIBVS CONSVLARIBVS
VIRI

ILLVSTRIS, PERQVAM MAGNIFICI, AM-
PLISSIMI, CONSVLTISSIMI,

1742.
Nº 29 März

DOMINI
DNI. DIDERICI
MEIERI,

JCTI CONSVMMATISSIMI

CVM

POST ADMINISTRATA INSIGNI CVM LAVDE
PER TRIGINTA ET QVOD EXCVRRIT ANNOS GRAVISSIMA
REIP. MVNERA

ANNO MDCCXLII d. 29. MART.

PATRIÆ FASCES SOLEMNI RITV
CAPESCERET

APPLAVDEBAT

J. v. R.

BREMÆ,

TYPIS VIDVÆ B. HERMANNI CHRISTOPHORI JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI.



ILLVSTRIS, PERQVAM MAGNIFICI, AM-
PLISSIMI, CONSVALTISSIMI,

DOMINI
DNI. DIDERICI
MEIERI



ustitia, castæ sub imagine virginis

olim
Pinxerat antiquitas ingeniosa
Deam.

Virtutum illa quidem merito pul-
cherrima habetur,

Mille petenda procis, mille colenda modis.

Integra labe caret, Splendetque ab origine pura,

Castæ decus retinet non violanda suum.

Judicat in furvis oculos adoperta tenebris,

Damnat & absolvit lumina tecta peplo.

Qui stringunt aciem, non contemplatur avitos

Terrarum Dominos, quos tenet arca, Joves

Quæque micant tremulo fulgore numismata, visum
Non hebetare queunt o Dea cæca tuum.
Illa genus nescit, nec quo sis sanguine cretus
Novit, nec formam respicit illa tuam.
Non squalor lacrymæ juvant, nec tristia Divam
Qui poenas meruit supplicis ora movent,
Insignis ferro Sceleratos dextera terret,
Et vetitum stricto corrigit ense nefas.
Dependet lanx æqua manu librata sinistra,
Ut Themidos tribuat filia cuique suum.
Astræ fugientis amor, VIR SVMME veretur,
TE Summo positum *Patria Brema* loco
Illa TIBI vacuas supplex committit habenas
Promerito, & manibus dat sua frœna TVIS.
Communi fasces plausu capis atque secures,
Et sceptrum nivei munera dentis habes.
Ingredere summo Consul sublimis honore
Plaudentis vulgi lumina prona trahens.
Affurgit, summumque Ducem TE Cæna senectus
Laudat, & explicita Numina fronte colit.
Præsidium appellant mœstæ sine conjuge matres,
Et columen sibimet grande suisque vocant.
TE Servatorem recti & pietatis adorant
Quos legum tenet & religionis amor.
Gens scelerata timet commotam Consulis iram,
Ac justos fasces horret iniqua cohors,
Qui leges violant, & publica fœdera turbant,
Vindice TE, Scelerum debita pœna manet,
Quem juvat, ut patriæ dilectæ commoda curet
Utilis, hic meriti præmia certa feret

Quam bene TE Dominum vestit nova purpura? quamque
Exornat dignè, qui TIBI venit honos?
Gloria justa decusque suum stat legibus, atque
Salva manent patrii jura sacrata fori.
Publica TE stat Atlante salus, tibicine tanto
Firma stat, auspiciis *Brema* beata TVIS
MAGNE VIR, illustres proni gratamur honores,
Dicimus atque bono nunc bona verba die,
Sis felix *Bnema*que diu rege mitis habenas
Atque tene manibus credita scepra TVIS.
Et bene consilio sapienti Numina dicunt,
Cedat ut in patriæ commoda magna meæ;
Illustres animi dotes ac Consule dignas
Conservent nobis celsaque dona TVI.
Non lædant vires incommoda corporis ulla,
Nullaque concutiat ruffis anhela latus.
Vive, vige, flore longos in Nestoris annos,
Tamque diu meritis debita scepra gere.
'Audiat has (mea sunt, sunt hæc quoque Publica vota.)
Audiat, has æther, suscipiatque preces.

